



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

In Nomine Domini Ac Salvatoris Nostri Jesu Christi Amen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

IN NOMINE DOMINI AC SALVATORIS NO-
STRI JESU CHRISTI AMEN.

Prima sedes nostra Episcopalis ab *Ottone I.* Imp. *Ciza* constituta est in honorem DEI & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & primus ei *Provisor* ab eo datus *HUGO*, quem *Athelbertus*, Magdeborgensis *HUGO I.* Archi-Episcopus, A. D. DCCCCLXVIII. consecravit in Magdeborg. Erat bonus Pastor & Venerabilis Pater, qui bene vixit & recte docuit. Dux Bojemorum *Dedi* Urbem & Ecclesiam ejus cepit, vastavit, ipsumque *Hugonem* cum omni populo inde fugavit A. D. DCCCCLXXIV. Qui postea A. D. DCCCCLXXIX. in sacra sua Sede aequaliter restituta moritur anno ordinationis suae XI.

Secundus FREDERICUS ab eodem Archi-Episcopo *Athelberto* OF-FREDERIDINATUR AD. DCCCCLXXX. paulò ante hujus mortem. *Giselharius*, *CVS.* Episcopus antea *Merseborgensis*, factus postea, promotione *Ottonis II.*, Archi-Episcopus *Magdeborgensis*, malitiosa astutia & ambitione quãdam etiam aliquandiu retinuit *Merseborgensem* Sedem quoad reditus & potentiam. Cum verò perpetuò retinere non posset, ex invidia & malitia vastavit & dissipavit eam, bona partim vicinis Episcopis, *Misenensi* & *Cizensi*, (a) dando. Et ne *Halverstedensi*, tradidit ei sacram jurisdictionem. Potiora verò & plurima, imò novem urbes, (b) ad se rapuit *Giselharius*. Ut tamen sub bono prætextu cultus divinus conservaretur *Merseborgi*, Abbatiam ibi instituit pro Monachis Ord. *S. Benedicti*, quibus præposuit *Oibratum*, Monachum *S. Johannis Baptiste* in Magdeborg. Mox autem eò mortuò dedit illis *Haymonem* ex eodem Monasterio, istamque Abbatiam suo Archi-Episcopatu subjectit. Sed malè. (c) Dicunt, obiisse *Fredericum* circa AD. DCCCCXC. anno Pontificatus sui X.

Tertius HUGO II. ordinatus à *Giselhario* Magdeborgensi AD. *HUGO II.* DCCCCXI. Eodem annò *Ottonem III.* hospitem suum *Ciza* majestaticè tra-

(T) stavit;

(a) Pars Episcopatus nostri, quæ jacebat inter *Salam* & *Elisram*, ac *Mildam* fluvios, & *Plisni*, *Vedu* & *Tuchurino* pagos, cum villis passim & piscinis *Friderico Cizensi* Episcopo datur. *Ditmar. l. III. p. 55.* conf. *chron. Magdeburg. T. II. Meibom. rer. Germ. p. 278.* Idem *chron. p. 282.* Episcopum hunc *Hildricum* vocat à *Giselhario* ordinatum, qui etiam unctio *Dagionis*, Archi-Episcopi *Magdeburg.*, adfuisse dicitur p. 282. (b) *Ditmar. l. III. p. 55.* undecim habet, puro autem pro IX. librarium substituisse XI, siquidem novem tantum cum *chron. Magdeb. p. 278.* recenset: (1) *Scudici* (2) *Corung*, *Corug*, (3) *Worcin* (4) *Digni* (5) *Hilburg*, *Ilburg*, (6) *Dibin*, *Dibni*, (7) *Pungi*, *Pug*, (8) *Linbenici*, *Luibantici*, (9) & *Gezerisca*, *Gezerisco*. (c) *Conf. Meibom. chron. Bergen. T. III. rer. Germ. p. 292.* & *chron. Magdeb. l. a.*

stavit, uti decebat, qui contra Ecclesiæ multa privilegia dedit & confirmavit. Cizâ discessit ad *Idonem* (d) Misenensem, qui fuit Comes de *Rocheliza*. (e) Eodem annò XII. Kal. Nov. consecrationi templi Halverstedensis adfuit *Hugo* unâ cum aliis Saxonie Primatibus. (f) Sedit in AD. MI. annos nempe XI.

HILLE-
WARDVS.

Quartus *HILLEWARDUS* à *Giselharo* etiam ordinatus AD. MII., amator fratrum suorum, populi Pater, pauperum custos & iustitiæ cultor, qui Ecclesiam suam unicè amabat. Omnia, quæ *Fredericus* injustè acceperat ab Ecclesia *Merseburgensi*, ob tranquillitatem animæ suæ spontè eidem reddidit. (g) Adfuit inunctioni *Walthardi* Magdeburgensis AD. MXII. (h) & *Geroni*, Successoris illius. (i) Auxit Ecclesiam suam multis bonis, decimis & privilegiis. *Idonem* Misenensem AD. MXV. in *Lypz* mortuum XIII. Kal. Jan. in Ecclesia Misenenli coram altari sepeliri curavit. (k) AD. MXXII. ordinavit & consecravit *Hunfredum*, Archi-Episcopum Magdeburgensem. Adfuit in conventu, quem *Aribo* Moguntinus in Franckhonia vult indixerat A. D. MXXVIII. Aderant simul cum eo XXII. alii Episcopi unâ cum *Kunrado* II. Rege, *Aribo* Archi-Episcopus cum Suffraganeis suis *Argentino*, *Augustensi*, *Paderbornensi*, *Papenbergensi*, *Wurzeburgensi*, *Hildeneshemensi*, *Halverstedensi*, *Verdensi*, & *Wormatiensi*: *Piligrinus*, Archi-Episcopus Colonienfis, cum Suffraganeis suis *Mindensi*, *Mimigardevordensi* *Trajectensi*: *Hunfredus* Metropolitanus noster cum Suffraganeis suis, *Merseburgensi*, *Havelbergensi*, *Misenenli* & nostro. Insuper *Virdunensis*, *Schlesvvichensis*, *Mantuanus*, *Aldenborgensis*, & multi Abbates. Pertractata ibi fuit causa Abbatissæ *Gandesheimsis* contra Episcopum *Hildeneshemensem*, qui ramen vicit. (l) Per annos sexaginta & unum à fundatione sacræ Sedis nostræ, nimirum AD. MXXXIX. Cizâ ea translucatur *Nuenborgum* cum omnibus rebus, possessionibus & immunitatibus suis ac juribus. Expediebat Ecclesiæ munitior actutior locus, ob pacis firmitatem & religionis augmentum, magno id desiderio apud *Johannem* XX. Papam procurante *Kunrado* II. Imp., & pium propositum christiano zelo promovente *Echarto* Marchione cum fratre suo *Herimanno*, qui prima fundamenta Ecclesiæ majoris in *Nuenborg* posuerunt. (m) Hanc translocationem *Johannes* Papa dictus & *Kunrad*. Imp. A. D. MXXXII. confirmant. (n) Comitibus de *Glisperg* multa bona contulit, ut bene meritis de Ecclesia nostra.

(d) Ido, Egido, Bigido, Eiko, Eik, Eidus, Egidius, (e) Vid. Albin. chron. Misnenf. tit. 21. p. 279. (f) Ditmar. l. IV. p. 73. (g) Ditmar. l. VI. p. 123. (h) chr. Magdeb. tit. p. 285. (i) Id. chr. p. 286. (k) Ditmar. l. VII. p. 197. (l) Conf. P. I. Annal. Padeb. Schaten. p. 472. (m) Vid. dif. Sagittar. de Eccardo II. Marchione Misnia: Sect. XI. per tot. (n) literas utriusque dabit id. Sagittar. l. c.

nostra. (o) *Ditmarus* Merseburgensis pro parochia duarum civitatum *Tribni* & *Tuchus* tres villas ei reddidisse dicitur. (p) Præfuit ann. XXXVI. & obiit circa AD. MXXXVIII.

Quintus KATHALO (q) è Longabardia, bonus Provisor, Pastor *KATHA-*
& Rector Cleri & populi, ordinatur ab *Hunfredo*, Metropolitano no-
stro, & primus dicitur Episcopus *Nuenburgensis*. Adfuit dedicationi novæ
Ecclesiæ in *Herofvelt* cum *Hunolto* Merseburgensi & *Hunfredo* Magdebor-
genfi, ex consensu *Bardonis* Moguntini, ad cuius parochiam spectat istud
monasterium, præfente etiam *Heinrico* III. adhuc juvene AD. MXL.
Sequente anno adfuit dedicationi Ecclesiæ *Adimigardevordensis*. (r) Idem
Rex ei dedit villam *Casence* in pago *Zurba*. Moritur Romæ ob negotia
Ecclesiæ suæ eò missus AD. MXLV. Pontificatus sui VII. (s)

Sextus Eppo, alii vocant *Everhard*, ordinatus etiam ab *Hunfredo* Eppo.
Magdeburgensi, doctus, pius, & in magnis negotiis tractandis judicio-
sus & serius, apud Reges & Principes multæ auctoritatis, *Heinrico* certè
IV. percharus, cui fidelissimus vicissim erat. Dedicationi Ecclesiæ *Go-*
zecenfi ipse adfuit, (t) A. D. MLIII. tertio Kal. Octobr. unà cum *Athel-*
berro, Archi-Episcopo *Bremensi*, *Burckhardo* Halverstedensi, *Wyntero*
Merseburgensi Episcopis & aliis multis. A. D. MLXI. in Hungaria cum
Wilhelmo, Marchione *Thuringiæ*, *Andrea* Regi contra fratrem auxilia-
cus est fortiter, & multos barbaros occidit. Postea verò *Andreas* equo
suo dejectus, & pedibus cohortum contritus est. Marchio dirà fame
pressus, *Eppo* autem captus est. Tandem uterque in patriam cum tri-
umpho rediit. (u) Contulit liberalitate *Heinricorum* Regum (w) Eccle-
siæ suæ *Grimm*, *Kochedez*, *Strele*, *Ozshez*, *Lisnik* & *Poruz* in pago
Dalemeca sito. (x) In synodo *Erphurtiæ* AD. MLXXIII. ob decimas
Thuringis à *Segefredo* Moguntino indicta, *Eppo* quoque cum *Hildeneshe-*
mensi, *Osenbrugensi*, & *Papenbergensi* Episcopis erat, & fervidus nimis
in studio suo contra *Thuringos* pro Moguntino. (y) Expulsus idèò obtestari
cepit Regem, ut vela mutare & sanioris animi esse velit. (z) Porro legatus
(T) 2 Regis

(o) Imò *Albin. chron. Misa. tit. XXI. p. 284.* cum pro Comite *Glisbergensi* habet. *VVal-*
terus de *Glisberg* monasterium *Scotorum* *Esfurti* condidit, *Lamb. Schafnab. ad ann. 1036.*
(p) idem asserit *vita Ditmari* ex codice *MSto* à *Madero* edit. & *chron. Litmar. annex.*
p. 261. (q) *Cathelo, Kadalo, Cadalus, Kasso* &c. (r) Intelliget dedicationem Ecclesiæ
Transaquentis Monasterii *VVestphalorù*, quâ nihil per totam *Saxoniam* spectari quidem
magnificentius fuit, prolixius recensente *Schæto. l. c. ad ann. 1041.* (s) *Albin. l. c.*
Burcardum, seu *Bullonem* hîc intrudit; alii eum *Cathaloni* præponunt. (t) *vid. chron.*
Monast. hujus à Madero edit. *p. 290. seqq.* (u) *Vid. Lamb. Schafnaburg. ad ann. 1061.*
(v) *III. & IV.* (x) de hoc pago quædam habet *Meibom. de pagis Saxon.,* latius de eo
Reinecc. in fine ad chron. Ditmari. p. 280. & *David Peifer* in *Lipsia* sua *L. I. §. 19. seq.*
latissimè omnium *M. Graun, in diss. singulari* habet. *VVittenberg. 1687.* (y) *Lambert,*
ad ann. 1073. p. 190. (z) *Idem ad ann. 1074. p. 205.*

Regis fuit ad *Ottonem* Bojoariæ Ducem missus. (a) Sed ob formidabilem Saxonum Suevorumque legationem perterritus Rex, *Epponem* unâ cum aliis Episcopis castris exire iussit, ne crabrones amplius irritaret, (b) inò pro miseri & spreti Regis fide juramento ipse affirmavit personaliter, ut tandem ab excommunicatione absolveretur. (c) In rivulo denique ex casu equi miserè periit. (d) Vir multum utilis. Interim Abbas *Gozceensis Fredericus* è Comitib. Palat. Sax. fit Prælati *S. Georgii* in *Nuenborg* Ordinis *S. Benedicti*, volente ita novo Rege *Rodolpho* Suevo, *Heinrici IV.* Antagonista. Hoc monasterium *Suanhilda, Echardi* l. *Mitniæ* Marchionis uxor, *Hermanni Billungi* Filia, condidit. (e) Sedit *Eppo* ultra annos XXXIII. Obiit circa A.D. MLXXXIX.

GÜNTE-
RVS.

Septimus GÜNTERUS ordinatus per *Hartvicum* Magdeburgensem & Metropolitanum suum A.D. MLXXXIX. Erat *Wilhelmus*, Comitis de *Kamborg*, frater, (f) fidelis Pater, qui Ecclesiæ suæ varia bona comparavit in *Numleben, Hohlsfeld, Schafstede, Petersberg* &c. Obiit A.D. MLXXXVIII. Pontificatus sui IX.

WALL-
RAMVS.

Octavus WALLRAMUS. Mortuo *Güntero* unanimiter electus est *Fredericus*, *Gozceensis* Abbas, monachus Ord. *S. Benedicti* ut *Hugo I.*, diu desideratus. Verum *Heinricus IV.* sub prætextu, quasi electio in scio Rege facta esset, irritam prorsus censuit. Cives tamen electionem defendebant, nec ullum alium cupiebant. Interim moritur Abbas *Herosveldensis*. Rex igitur *Fredericum* electum in locum ejus deputabat. Hic verò asserbat, se duo monasteria simul commodè non posse regere, etiam contra Scripturam esse, duobus servire Dominis, coactus tamen suscipere debuit. Verum ingravescente senio molestum admodum fuit, utriusque loco præesse. Igitur *Nuenborgensem* Abbatiam reliquit *Kunrado* ex *Bojoaria*, quamvis *Herosveldensem* libentius amisisset. Hic *Kunradus* è monasterio suo *Papebergensi*, propter insolentiam & ambitionem, discesserat in monasterium *S. Michaëlis Hildeneshem*, ad cognatum suum Abbatem *Mennyvardum*. Quem dum hic cerneret *Fredericus*, eumque sedulam ac officiosum crederet, secum sumisit in *Nuenborg*, & Præpositum fecit in monasterio *S. Georgii*. Postea per quatuor annos

(a) Idem ad ann. 1076. p. 241. (b) Idem p. 245. (c) Id. p. 249. seqq. (d) vide *Fischer*. T. I. rer. Germ. p. 131. & *chron. Magdeburg.* tit. p. 306. (e) Autor *chron. Montis sereni* ad ann. 1171. Ecccardum istum facit fundatorem Episcopatus *Numburgensis*, quem sequitur *P. Albin.* in *chron.* cit. tit. X. p. 115. seq. & in calce libri p. 438. Licet enim transfatorem saltem eum facere velit *Sedis Episcopalis Cizæ Numburgum*, rectius tamen edocebit e *D. Sagittar. diss. de Eccardo II. Sect. XI.* (f) vid. *chron. mont. sereni.* p. 203. *Lipzeke, Chamburg, & Misna* inter munitiones *Marchionis Misniæ* referuntur. Id. ad ann. 1194. Coniux *Wilhelmi* Comitis de *Camburg*, quæ Geve nuncupatur, in crypta monasterii *Gozceensis* à damonio liberata est. *Chron. ejusd. monast.* p. 221. edit. *Mader. Bucelin. Germ. sac. P. I. p. 41. B.* cum *Albino chron.* cit. tit. XXI. p. 284. facit hunc *Günterum* Comitem à Brene.

annos ibi Abbas, *Mennyardo* demum apud *S. Michaëlem* mortuo, huic etiam monasterio præficitur. (g) Servus in oculis. Dedit igitur *Heinricus Rex* AD. MLXXXIX. *Nuenborgensi* Ecclesiæ *Wallramum* sibi fidelem, ab *Harruico* Magdeborgensi ordinatum. Hic monuit *Ludovicum*, Thuringiæ Comitem, (h) ut Regi *Heinrico* assisteret, & hostis fieret omnium hostium suorum. (i) Fundationi monasterii *Bigaugiensis* cum *Alvino* Merseborgensi & *Harruico* Metropolitano adfuit. (k) Obiit A.D. MCX. Episcopatus sui XXI.

Novus TIDERICUS I. A.D. MCXI. electus, & ab *Adelgato* Metropoli-
tano consecratus, (l) Venerabilis pater, ad omnia utilis, fundator monasterii
Bozau, (m) Ord. S. Bened. *Nuenborgum* captum cum Capitaneo ejus *Heinrico*
Cephalico (n) Tandem *Tidericus* ab infideli *Bennone* in templo *Bozau* genti inter
preces cultro perfossus, paulò post obiit AD. MCXXIII. Episcopatus XII.

Decimus RICHWINUS (o) AD. MCXXIII. successit, à *Roubarde*
Magdeborgensi ordinatus. Sequenti anno basilicam in *Bozau* consecravit,
& aitaria aliquot ibi dedicavit, à quorum dedicatione mors impediverat *Ti-*
dericum. (p) Suosque fuit *Richwinus Wicerto* Marchioni, fundatori mona-
sterii *Bigaugiensis*, cum Metropolitano, *Arnoldo* Merseborgensi, *Godeboldo*
Misenensi, & *Wyndolfo*, Abbate *Bigaug.*, ut, relictis mundanis, sacrum reli-
gionis habitum susciperet. Quod & ipse fecit AD. MCXXIV. Sequenti an-
no obiit Pontificatus sui II.

Undecimus UDO I. Landgravii Thuringiæ filius, (q) electus AD. UDO I.
MCXXVI. & ordinatus à *Roubarde* Magdeborgensi. Sequenti anno *Bruno*,
Comes terræ *Physnensis*, cum *Wylla* (r) sua, *Oethryno* filio ab apro in silva
occiso, monasterium Sanctimonialium in *Smollen* fundavit, totumque ferè
pagum *Physnensem* liberaliter contulit, eique filiam suam *Garburgim* in Ab-
batissam dedit. Cum verò sorores illæ mundo magis, quàm Deo placere vel-
lent, amovit, & substituit monachos Ord. S. Benedicti. Sed quia hi etiam
nihilò meliores, & totum monasterium nunc in spiritualibus & temporali-
bus valde depravatum erat, *Bruno* Comes desuper lacrymâsse dicitur, &
nunc in mortis agone positus, *Udonem*, *Nuenborgensem* Episcopum, ad
se venire iussit, rogans propter Deum, ut ipse auctoritate Pontificali locum
Deo dicatum conservaret, amotisq; monachis, O. B. Cistercienses fra-
res

(g) vid. fuffissimè chron. Gozeens. p. 222. seq. in chron. autem Monasterii S. Michaëf.
Hilde, T. II. rer. Germ. in. Meib. p. 518. *Conradus* hic dicitur consanguineus Abbatis *Sig-*
berti, & civis *Hildesienfis* F., de reliquis autem ibi altam silentium. (h) Salius erat, (i) vid.
litteras apud *Dodechin.* ad AD. MXC. ubi tamen falsò dicitur *Magdeburgensis* Episco-
pus cum responso *Ludovici*, (k) Vid. chron. *Bigaugiensis*, p. 247. *Sigfrid.* Presbyt. ad ann.
1091. (l) chron. *Magdeburg.* cit. p. 324. addit *Arnoldum*, qui tamen inter nostros non
reperitur, (m) quo de vid. *Mader.* in calce chron. mont. sereni p. 284 seqq. *Conf. Lang.*
chron. Citiz. p. 782. (n) i. e. cum capite (o) *Rivvinus*, (p) vid. fundat. monast. *Bozau-*
gicnsis. (q) *Saltatoris* F. (r) *Sibylla*.

res induceret, totumque monasterium cum omnibus rebus & bonis suis sub defensionem suam susciperet. Moritur *Brano Comes*, & *Udo* noster fecit, quod promiserat illi. Interim Episcopus ad spectationem translationis *S. Godehardi*, Episcopi *Hilleneshemensis*, cō abiit devotionis gratiā, & in itinere divertit apud fratres in *Walkenred*, cum quibus in reditu venit, eosque aliquos in *Smolle* posuit, iisque Abbatem dedit *Athelbertum*, è conventu *Walkenredensi*. Strenuè famulabantur Deo; sed cū *Slavus* quidam, diabolus in carne ambulans, divitiis tamen & potentiā præfulgens, amicum suum, (s) ob multa crimina sub anathematizatione mortuum, in templo *Smollensi* humili mandasset, totus conventus cum Præfato pro ignominia & violatione sancti loci id reputans, effodi jussit, & subito extra monasterium poni. Ille verò *Slavus*, velut rabida bestia, monasterium adortus, ei que undam & ignem, rotam & crucem minatus est. Itaque Abbas *Athelbertus* ab *Udone* licentiam petit cum fratribus suis revertendi ad proprium Monasterium. Episcopus verò denegat, dans potius facultatem commodiorem & tutiorem locum in parochia sua eligendi. Turpe enim & nefas esse, ob insaniam unius hominis servitium Dei negligere, in gratiam diaboli. Variis ergo locis lustratis, placet tandem *Cusua* ad fluxium *Salam*, quem locum *Udo* plenariā libertate confert & sacrat pro novo monasterio ibi construendo, quod *Porta Maria* vocatum est. Sed bona ac possessiones fratrum in *Smollen* valore & numero præponderabant *Custianis*. Igitur *Udo* cum consensu Capituli sui de bonis Ecclesiæ *Nuenborgensis* monasterio alia dedit, donec æquivalentia videretur, (t) justitiā sic exigente, uti ad longum singula dicuntur in literis *Udonis* Episcopi desuper confectis. (u) Quod concambium *Innocentius II.* Papa (vv) & *Kunradus Rex II.* (x) confirmârunt. Erat Ecclesia *S. Mariæ* in *Nuenborg* cadibus, rapinis, & aliis modis profanata ac contaminata, quam *B. Nordbertus* expiavit, & violatores, cū satisfacere nollent, terribili anathemate ab Ecclesia sejunxit. (y) *Lotharius III.* Dei gratiā Romanorum Rex, ob divinum amorem, & conjugis suæ *Rikze*, & Venerabilis Archi-Episcopi *Magdeburgensis Nordberti* petitionem, legitimo concambio commutabat & tradebat Ecclesiæ in *Magdeborg* Abbatiam *Alsleve* in interioribus & exterioribus plurimū dilapsam, in ripa fluminis *Sala* sitam,

cum

(s) cognatum, (t) chron. Portense L. I. p. 82. (u) Id. chor. p. 23. (vv) anno 1137. (x) anno 1140. Vid. lit. confirmationis in chron. Port. L. I. p. 18. seqq. ubi pro *Padepurgensi* legas velim *Padeburgenis*. Erat autem *Bernh.* iste hujus nominis L., sed XVI. in ordine, ex nobiligrate de *Osede*. Minor sanè, *Scharenium*, qui tamen minutiora quæque corrasit, hoc nescivisse. P. L. ann. *Padeborn*. p. 754. seq. (y) conf. chor. *Magdeburg.* cit. p. 327.

eum omnibus ad eam pertinentibus : è contra à præfato Nordberto per manum *Heinrici*, Magdeburgensis civitatis præfecti, in concambium ad usum Regni suscepit castrum *Scarsfeld* in montanis, quæ *Hartz* dicuntur, situm, cum omnibus suis pertinentiis. Cujus rei testis præfens etiam adfuit *Udo* noster, quem longo ordine sequuntur *Havelbergensis*, *Hildeshemensis*, & *Cremonensis* Episcopi, duo Cardinales, Abbates, & alii plures. Actum Goslar. IX. Febr. AD. MCXXX. indict. VIII. anno Domini *Lotharii*, ex quo regnare cœpit, sexto. Sanctam coluit amicitiam *Nordbertus* cum *Udone*, uti ex variis literis constat, quas vidi, in quibus eum vocat *cor & animam suam*, in Domino suo dilectam, Amicorum & fratrum suorum Primatem, vicinum ex animo dilectum : cœpiscopum vigilantem, & in Domino verè amandum &c. AD. MCXXXIII. B. *Nordbertus* eum *Lothario* Rege ibat Romam, ad introductionem *Innocentii* II., ubi litem ei fecit Abbas *Fuldensis* de præcedentia sessionis; & sanè nisi optimus Archiepiscopus ab hujusmodi rixis & vanitatibus non abhorruisset, multum sanguinis effusum esset. (z) Et quia Ecclesia *Nuenburgensis* majori defensore opus habebat, eligebatur *Marchio Kunradus*, (a) qui lubenter suscepit, & beneficia quædam nobis contulit cum castro *Saddan* eodem annò. Rex autem *Kunrad* AD. MCXLIV. confirmavit. Ita *Marchiones* facti sunt Advocati & defensores Ecclesiæ nostræ. Fundavit etiam *Udo* in honorem S. *Stephani* Proto Martyris monasterium *Virginum O. S. B. Cize* extra muros in loco editiori. (b) *Bartoldus* verò, Abbas Ecclesiæ S. *Georgii*, propter negligentiam removeretur. Obiit denique *Udo* AD. MCXLVIII. in expeditione sacra cum *Kunrado* Rege, dum in reditu naufragium faceret. Sedit ann. XXII. (c)

Duodecimus *WIGMANNUS*, (d) *Kunradi* Marchionis (e) successoris (f) filius, (g) ordinatus à *Frederico* Metropolitano circa AD. MAN- MCL. (h) Anno ordinationis suæ tertio, AD. MCLIII. NUS, cum *Portensis* Conventus dilectioni suæ *Joseph* & *Joannes* ellet, omnes donationes ab *Udone* ei factas confirmavit. Tradidit autem *Udo*

(z) Abbas iste erat *Berthous* à *Schüz*. De hoc tumultu nihil profus habet *Brover*. L. IV. Antiqq. Fuld. p. 298. *Eberhard*. *Fabricius* verò in gloria *Fuldæ* p. 218. retigit eum, citans pro *Fuldensi* aliquot auctores, (a) *Milsia*, (b) ubi nunc aedes coemiterii sita est, (c) anno 1148. *Udo* *Cizensis* Episcopus à *Jerosolymis* rediens naufragio periit, *chron. Bigaug.* p. 260. (d) *Udoni* *Udonem* suærogat *Lang. chr. Citz.* p. 789. cum *Bucellin.* l. c. p. 41. B. prætermissis *Wichmanno* & *Bertholdo* I. Verùm nonnulla istius chronici injuriâ temporis perita sunt. Meminit enim *Bertholdi* II. & non I. (e) *Milsia*, (f) *Mechtildis*, (g) *chr. Bigaug.* p. 260. & *chron. Mont. sereni* p. 203. *Comitis Geronis* *Bavarici* de *Seburg*, al. *Tegeburg*, *Albin. l. c.* p. 285. (h) atqui ab *Hardevvico* *Magdeburg.* juxta *chron. Magdeburg.* p. 320. qui anno 1088. obiisse dicitur. *Hardevvico* enim, successor *Hardevvici*, fato functus suo anno 1107. *Id. chron.* p. 323.

gangrias in *Lochyriz* & *Cusna* cum omnibus attinentiis & decimis, molendinum cum rivi deductione, usum piscandi in illo tractu fluvii *Sala*, qui præterfluit agros congregationis, portionem silvæ, determinatam longitudine à capite torrentis ultra *Kokelobe* usque ad fossas *Aldenborgenses*, latitudine verò ab ipso monasterio usque ad aggeres, qui sunt secus novalia *Hollandensium*: quasdam domos in *Nuenborg* cum fundo & aliis appenditiis earum, quibus Abbas *Athelbertus* conquestivit gangriam in *Heggendorf*, octo mansos, quos *Metfredus* dimisit in *Langendorf*, villa *Kemerich* & fluvii transitum, quem dimisit *Günterus* noster; (i) mansum *Droitze*, quem dimisit *M. Henricus*, duos mansos in *Risene*, de quibus cambium fecit Abbas *Athelbertus* cum *Heinrico*. His addidit *Wigmannus* noster duos mansos in *Heseler*, unum *Hollandensem* mansum in *Tribune*, porro in *Nuenborg* cum curia duos mansos, quos per manum *Hartmanni* Vice-Domini dedit *Tiderico* Abbati *Portensi*. Quæ pro mea instructione ex literis *Wigmanni* privatim decerpere volui. (k) AD. MCLIV. *Hartmannus*, *Cizensis* Canonicus, cum de vinea colenda ad usus Fratrum in *Porta* sollicitus esset, & illi Ecclesiæ traderet in villa *Tribune* mansum unum, ut vinum in illo manso collectum fratribus & pauperibus infirmis, quos secundum regulam non decet negligere, proponatur, & ut post annum, quando vinum novum potabile, superfuerit, Fratribus communiter offeratur. Sed decima urna, si fertilitas vini permittit, ut sequestretur pro pretio lagenarum & instrumentorum constitutum est. Eodem annò (l) *Wigmannus* fit Archi-Episcopus in *Magdeborg*. Sedit ann. IV.

BARTOLDVS I.

Decimus tertius *BARTOLDVS I.* Præpositus antea Cathedralis Ecclesiæ electus AD. MCLIV. & ordinatus à *Wigmanno* nostro, nunc *Metropolitano*. Dederat *Cesar Henrico* Leoni potestatem instituendi Episcopat⁹ in *Slavia*, uti etiã fecit, nominatim in *Oldenborg*, *Miklenborg* & *Razeborg*, quod subscripsit noster. (m) Moritur postea in Italia AD. M. C. LXX. ordinacionis VII.

VDO II.

Decimus quartus *VDO II.* Venerabilis & laudabilis Pater, ordinatus & consecratus à *Wigmanno* præfato. Anno MCLXIII. VII. Id. Octobr. Ecclesia, *Dei gratia* dicta, dedicata est in honorem B. Virginis, S. Victoris, & S. Pontiani Martyrum, à *Wigmanno* *Metropolitano*, adstantibus & cooperantibus *Misenensi*, *Merseborgensi* & *Cizensi* nostro. (n) Dedit *Portæ Mariæ* AD. MCLXVIII. chirographum suum super concambiis: (o) contulit eidem salictum quoddam

(i) Erat Comes *Leiningensis*, antea Canon. Eccles. *Numburg.*, postea Episcopus *Spüen-*sis, fundator monasterii *Maulbronensis* unã cum *Waltero Lomershemo*, (k) conf. chr. *Portens.* L. I. p. 27. seqq. (l) non anno 1152. juxta chron. *Magdeb.* cit. p. 329. (m) Vid. antiquitat. *Maderi Brunsvicens.* edit. prim. p. 121. & L. I. chron. *Slavor.* c. 88. (n) Ecclesia ista, *zur Gottes Gnade* dicta, sita propter oppidum *Calbam* ad *Salam*, & fundata à *B. Nortberto* ex bonis *Otronis*, Comitris de *Cruttorp*. Primos lapides Archi-Episcopus cum præfato Comite in fundamento posuit. Otto postea à *Nortberto* ejusdem Ecclesiæ primus factus est Canonicus, & in *Diaconatus* Ordinem ab ipso promotus. Vid. chron. *mont. seren.* ad ann. 1131. & 1163. (o) chron. *Portens.* L. I. p. 30. seqq.

dam inter Salam & clausuram molendini fratrum situm: possessiones in *Ko-
tevytz*: confirmavit concambium possessionum in *Katzenrode*: dedit liber-
tatem in monte *Salberg* lapides frangendi & terram fodiendi ad reparandas
clausuras & alia necessaria facienda: liberum insuper transitum per viam,
quam ipsi habuerunt, & jus fontem, qui de eodem monte emanat, in usus suos,
quò voluerint, transducendi, & clausuram ipsorum, quantumcunque fracta
fuerit, ad litus applicandi. (p) Traditionem Fratrum à *S. Georgio* ad repa-
randam *Salæ* clausuram à fratribus in *Porta* factam confirmavit AD.
MCLXXII. *Otto*, Marchio, monasterium in *Porta* AD. MCLXXV. ex loco
Cusano transtulit ad radices montis, ubi adhuc est. AD. MCLXXIX. *Frede-
ricus* I. Imp. curiam habuit in *Nuenborg*, ubi anno sequente VII. Id. Octobr.
concambium *Smollense* confirmavit, quod ipse *Udo* cum multis aliis sub-
scripsit. (q) Obiit AD. MCLXXXVI. (r)

Decimus quintus **BARTOLDUS II.** Ecclesiæ Nuenborgensis Ca-
nonicus, electus AD. MCLXXXVI. & ordinatus à *Wigmanno*. Dat mona-
sterio in *Bozau* AD. MCXC. privilegium confirmationis super duos mansos
sitos in villa *Cochovy*. Cùm *Heinricus* VI. Imp. regni sui XXIII. Imperii se-
cundo Monasterio dicto in *Bozau* etiam privilegium confirmationis super
institutione in *Zyrickorve* cum duobus mansis, & super decimatione telonii
& quinquaginta scabronum ac duodecim curtibus ibidem daret, inter testes
primarius erat *Bartoldus* noster. Dat. apud *Merseborg* VI. Id. Decembr. (s)
Adfuit solemnem & generali curiæ in *Geilenshusen* ab *Heinrico* Imp. indictæ AD.
MCXCV. & post biennium ivit cum eo, ac *Hermanno* Landgravio & *Otone*
Brandeborgensi, aliisque in terram sanctam; sed AD. MCXCVIII. rediit
inde. *Athelbertus* Præpositus in *Lusinitza* res monasterii sui perdidit, &
cum feminis, quarum custos esse debebat, se polluerat, idè à *Bartoldo* nostro
ab officio remotus est. Cui successit *Marcward*. Canonicus in monte *claro*.
(t) AD. MCCVI. *Bartoldus* Româ reversus cum consensu Papæ in manus
Philippi Regis spontè resignat parochiam suam anno ordinationis XX.

Decimus sextus **ENGELHARD** AD. MCCVI. electus (u) nondum erat
Presbyter, mox autem ex dispensatione Papæ, volente ita *Philippo* Rege, à Me-
tropolitano *Ludolpho* sacerdos & Episcopus simul ordinatur. (w) Post Deum
Matrem ejus semper Virginem Beatissimam sanctissimè coluit, exercens ubi-
que pietatis & misericordiæ opera, de quibus inter alia testantur Monasteria
suæ Dioceseos, specialiter in *Bozau*; (x) cui collationem in *Prosin* cum capel-
lis, infra terminos ejus construendis, à Prædecessore suo *Udone* factam, confir-
mavit. (y) Adfuit *Frederico* II. Imp. apud *Würzeborg*. (z) AD. MCCVII.
(U) cum

(p) Id. chron. p. 33. seqq. (q) Idem p. 36. seqq. (r) chr. Bigaug. p. 266. habet ann.
1187. (s) Conf. Lang. chron. Citiz. p. 790. seq. (t) chr. mont. sereni ad ann. 1200. (u)
Id. chron. habet ann. seq. (v) Id. ad ann. 1207. (x) laudat id Lang. l. c. p. 796. (y)
Id. l. c. p. 797. (z) vid. Ectorm. chron. Walckenried. p. 136.

cum eodem *Frederico*, *Tiderico*, Advocato Ecclesiæ nostræ, (a) & multis aliis Episcopis & Principibus ad terram sanctam ivit sub spe recuperationis. Habuerant diu Abbas *Bigaugiensis* & *Tidericus* Marchio, propter advocatiam istius monasterii, multas & difficiles controversias, quas ex speciali mandato Metropolitanæ *Engelhardus* noster & *Echardus* Merseburgensis dissecant, & utrumque ad osculum pacis reducant. (b) AD. MCCXXXI. Abbas in *Nienborg* cum *Sophia* in *Quitlenborg* graviter punitus est. Sed hoc nihil ad nos. (c) AD. MCCXXXVIII. *Henrico*, *Milniæ* Marchioni & Landgravio *Thuringiæ*, beneficia multa contulit (d) *Engelhardus*, pro quibus ipse Episcopo reddidit magna privilegia, AD. MCCXXXIX. omnia monasteria in tota *Diecepsi* sua, ex mandato *Papæ*, in disciplina, cantu & celebratione cultus divini accuratè reformat, omnes abusus amputando. In senio suo pro salute Ecclesiæ suæ limina Sanctissimorum Apostolorum *Petri & Pauli*, Patronorum nostrorum, personaliter visitavit, ubi ab *Innocentio* *Papa* abdicationem officii sui petit simulque obtinet. *Segefredum* moguntinum *Erphurtiæ* mortuum cum pia veneratione humari curavit, Vir in omnibus factis laudabilis. Obiit tandem AD. MCCXLII. Sedit ann. XXXVI.

TIDERI-
QVS II.

Decimus septimus TIDERICUS II. marchio *Misnensis* non est canonicè electus, sed *M. Petrus* in schola *Parisiensi* tunc constitutus, Vir bonus & doctus. Priusquam verò ille veniebat, favore Metropolitanæ & fratris sui Marchionis confirmabatur *Tidericus*. Ergo per duos annos inter se disputarunt acriter. *Tidericus* verò pecuniâ & armis fratris sui potentior; ideò cedere oportebat *Petrum*, & sorte suâ esse contentum. *Tidericus* autem bene præfuit, ut Ecclesiam sui pœnitere non possit. Erat enim sedulus, discretus, cultor justitiæ, & beneficus in pauperes, Clero & populo dilectus. AD. MCCXLVII. magnam campanam *Erphurtiæ* solemni cum devotione consecravit. (d) Primi Ecclesiæ nostræ fundatores, promotores & benefactores erant *Heremannus* Marchio, & conjux ejus *Reglyndis* Marchionissa, frater ejus *Echardus*, & conjux ejus *Uda* Marchionissa, *Syzo*, Comes *Doringiæ*, (e) *Wilhelmus* Comes

(a) March. Misn. (b) chron. Mont. seren. ad ann. 1223. p. 152. (c) Abbas combustus, & Abbatissa de castro ejecta pro suis delictis. chron. Magdeburg. cit. p. 330. Conf. exercit. m. de Advocat. Monast. §. 21. (d) sc. Haini, Otranti, Strelæ, Valæ, Olshatzii, Gimmæ & Smölnæ, nec non Rutleitzbergii, aliorumque oppidorum, arcium, & decimam. Hist. Episcop. Numburg. Sagittar. p. 22. (d) in chron. MS. Eifurt. ab anno 1338. ad 1541. compilato, de alia campana hæc ad ann. 1497. notata sunt: In demselben Jahr ist die grosse Glocke zu U. L. F. durch Meister Erhard von Campen gegossen worden/und hat 270. Zentner/dabey Bischoff Doctor Johann Laspe/hat sie Montag nach Trinitatis getauft. Wenn man nun ein Pfund Erz für 4. Groschen rechnet/macht die Summa 4725. Thaler 5. gute Groschen. (e) Kevernburgicus.

Comes & *Gepa* Comitissa, *Berchta* Comitissa, *Tidericus* Comes & *Gerburgis* Comitissa. Quia tamen Episcopus noster consummare volebat basilicam istam, omnes & singulos, tam vivos quam mortuos, qui ad hanc structuram suas eleemosynas mittunt liberaliter, in generalem fraternitatis societatem & orationum participationem suscepit AD. MCCXLIX. Pontificatus sui V. Sub eo fundamentum positum est majoris templi in *Porta Maria* AD. MCCLI. XII. Kal. April. AD. MCCLV. Pontificatus sui anno XII. *Tidericus* hic, *miseratione divinâ* Episcopus, Guardiano fratrum minorum in *Isnac* auctoritatem dedit primarium lapidem ponendi ad Ecclesiæ fundamentum, quam ipse de novo construere volebat: dedit insuper omnibus ad prædictam structuram suas eleemosynas conferentibus XX. dies indulgent., literis tamen post consummationem operis non valituris amplius. AD. MCCLVIII. Monachis in *Bozau* duos manlos in *Gladiz*, confirmat: (f) auget præbendas Canonorum, & redditus Ecclesiæ omni modo. AD. MCCLXVIII. magna erat guerra inter *Albertum* Landgravium & *Tidericum* Marchionem, patruos nostri Episcopi, ob quam etiam non poterat personaliter adesse templi *Portensis* dedicationi; ideo vices suas dedit *Mersborgensi* & aliis Episcopis. (g) Pro reliquiis è *Porta* acceptis reddidit fratribus privilegium. (h) Annus obitus ejus incertus est: puto tamen fuisse AD. MCCLXX. vel sequentem. Jacet *Cizæ* sepultus.

Decimus octavus *MEYNHERUS*, Præpositus Ecclesiæ majoris, *MEYN-*
Burggravius *Misniz*. An ordinatus sit à *Kunrado*, Metropolitano nostro, *HERUS.*
nescio. Ecclesiam multis debitis oneravit, pomposior aliquando præter
necessitatem & utilitatem. Quorsum enim sumtus inutiles? De eleemo-
synis vivimus nos Clerici, & hujus rei nos oportet esse memores, &
beatè vivere velimus. Si ergo *Meynherus* melius præfuisset, præmium
jam haberet in cælis. Obiit circa AD. MCCLXXV. anno Pontificatus
sui V. (i)

Decimus nonus *LUDOLPHUS* electus AD. MCCLXXVI. *LUDOL-*
(k) Nescio autem, à quo sit ordinatus propter turbas tunc in Eccle-
PHUS.
siæ Metropolitana. Claruit sub eo *Martinus Scotus*, Monachus, ut
volunt, Ordinis Cisterciensis, qui bis ei scripsit. AD. MCCLXXVIII.
adfuit Metropolitano *Kunrado* in extremis suis constituto. *Salesin* ad
Strelam vendidit: Monasterii in *Porta* & *Bozau* singularis benefactor.
Pro indulgentiis, S. *Catharina* apud *Isnac* concessis, misit Abbatissæ
(U) 2 Monasterii,

(f) Vid. Lang. l. 6. p. 807. (g) chron. Portens. p. 271. (h) Id. p. 282. (i) non
anno 1266. Lang. l. 3. p. 810. (k) non anno 1266. Id. p. 812.

Monasterii, cognata fortè ejus, aureum calicem & pulcrum tapetum coccinei coloris argento intertextum. Sic autem se habent:

LUDOLPHUS, Dei gratiâ *Nuenborgensis* Episcopus, Universis Christi fidelibus, ad quos hæc litera pervenerit, salutem in Domino sempiternam. Universitati vestræ per hoc scriptum notum fieri volumus, quod ad humilem petitionem *Abbatissæ S. Catharinæ* apud *Isenac*, & Sancti ejusdem Conventus Monasterii, dedimus indulgentiam, quod quicumque in anniversario consecrationis basilicæ istius, in festo *nativitatis Domini* & *Paschatos*, in *Pentecoste*, in omnibus festis solemnibus *Beatissimæ Virginis*, item in festis *S. Margarethæ* & *S. Mariæ Magdalena*, humiliter & devotè ad ipsum monasterium *S. Catharinæ*, beneficia spiritualia petiturus, per octo dies continuè accesserint, & ad constructionem, reparationem vel innovationem præfati Monasterii, seu ad omnia opera ejusdem, pias elemosynas propter Deum largiter contulerint, vel miserint, Nos de misericordia Domini nostri Jesu Christi confisi, unum annum & carenam unam de injuncta eis pœnitentia singulis annis in perpetuum relaxamus. Datum *Nuenborgi* Anno Domini *MCCLXXX*, III. Kal. Aug. Sedit *Ludolphus* ann. VIII. non XVIII. Obiit circa A.D. *MCCLXXXIV*.

BATHERIVS.

Vicesimus BATHERIVS electus, sed non confirmatus, ideò neglectus in catalogo Episcoporum nostrorum. Legi tamen, fuisse doctum, pium, & religiosum Virum, ad tantum munus aptum. Obiit AD. *MCCLXXXV*.

BRUNO

Vicesimus primus BRUNO, nobilis de *Quernfort*, electus AD. *MCCLXXXV*. (1) Utilis pater Dedit *Alberto* Marchioni, Advocato suo, in beneficium *Echardsberg*, *Borelfled*, *Raspenberg*, *Beichlingen*, Comitatus *Buch* & *Masse* AD. *MCCLXXXVIII*. Adiit *Rodolpho* Regi in solemai curia *Erphurtiæ* AD. *MCCXC*, & *Heinrico* II. Archi. Episcopo *Moguntino* ibidem, qui pietatem & prudentiam ejus valde admirabatur. Erant mali homines, qui nec Deum, nec Ministros suos reverenter habebant, sed multa damna, molestias, & injurias iis faciebant; convocavit ergò *Bruno* noster vicinos & Coepiscopos suos *Wirtich*. *Misenensium*, & *Heinricum* *Merseborgensem* in *Nuenborg*, ubi in unitate Spiritus Sancti promulgârunt mandatum, seu bullam Sanctissimi Domini *Honorii* IV. contra istos Ecclesiæ turbatores, raptores, & contemptores sacrarum personarum sub formidabili anathemate. A. D. *MCCLXXXVI*. (m) Ex invasione *Adolphi Nassovii* hæus modicum damnum passa Diœcesis. Promiserat quidem Ecclesiæ satisfactionem, sed quid verba sine re? *Porta* & *Bozau* multa contribuit beneficia, & donationes istorum monasteriorum confirmavit fidelis eorum Procurator.

(1) vel potius sequente secundum privilegium, datum monasterio *Bozoviensi* apud *Lang.* l. c. n. 20. Si enim AD. 1301. fuit Pontificatus sui 15. utique cœperit anno 1286.

(m) vid. *Spangenberg*. chron. *Querfurt.* c. 11. p. 350.

curator. (n) AD. MCCXCV. vocabat eum ad se *Ericus* Metropolitanus. Soli enim *Brunoni* confiteri volebat ante obitum suum. AD. MCCCIII. fugit ad eum pius Comes *Otto* de *Kerchberg*, cui Erphurtenfes castra sua destruxerant, omnibus rebus, quas invenerant, vel combustis vel raptis. Innocens erat bonus *Otto*, sed furiosi homines nec sacra nec prophana ritè disceiebant. In extremis super cinerem & pulverem in horto suo sparsum junctis manibus jacuit, ibique placidè, sine visibili ictu mortis, obdormivit in Domino, memor istius: *Pulyis es, & in pulverem reverteris.* Sedit ab AD. MCCLXXXV. ad MCCCIV. ann. nimirum XIX.

Vicesimus secundus *UTHELRICUS* I. electus AD. MCCCIV. optabilis Pater, (o) nobilis de *Wolckenberg*, (p) monasterio *Bozau* mansos & bona aliqua confirmat. (q) *Otto* de *Kerchberg* senior parochiam in *Brisenize* & capellam in *Kerchberg*, cum consensu *Uthelrici*, confert eidem monasterio; (r) innovat *Frederico* Landgravio beneficia in locis præfatis, item in *Grossenhayn*, *Oxtrant*, *Grimm*, *Oshaz*, *Rochelitz* &c. *Athelbertum* Landgravium de variis actionibus suis paternè & amicè dehortatus est; sed nihil effecit optimis consiliis suis. Vendit Dominis de *Ilenborg* pro D. marc. argenti Frybergensis monetæ *Dalam* & *Strehlam*. Dedit eidem *Bozau* privilegium confirmationis, quod *Nicolaus* Abbas reemerit pratum à monasterio alienatum. (s) Obiit XV. Kal. April. AD. MCCCXVI. Sedit ann. XII. Sic enim in lapide quodam legi:

A. D. MCCCXVI. XV. KAL. APRIL. R. P. OLRIC. EPS. NUENB.

IN DNO OBDORMIVIT A6 PONTIF. SVI XII. O. P. E.

Vicesimus tertius *HEINRICUS* I. Comes de *Grunpæc*, (t) utilis & prudens Vir, cui *Johannes* XXII. Papa privilegia Ecclesiæ innovavit & auxit: parochiam in *Langendorf* Decaniæ *Cizenfi* adjecit, ornamenta ecclesiastica & præbendas nonnullorum Canonicorum melioravit; fratrem suum fecit Custodem Ecclesiæ. Magna fames sub eo per totam Thuringiam. Multum igitur benefecit famelicis. Cum audiret, filios Belial in *Magdeborg* Archiepiscopum suum *Burchardum* clavâ in custodia sua occidisse, largiter lachrymatus est desuper, & per tres dies in jejuniis & precibus solus vixit in crypta sua. Obiit AD. MCCCXXVI. sedit ann. X.

Henricus vixit: fecit, quod vox pia dixit:

Ore, manû, factis, cunctis splendescit in actis.

(U) 3

Nunc

(n) vid. Lang. in primis p. 816. & 819. seq. (o) vitæ rectitudine conspicuus, & in agibilibus mundi peccatissimus, Lang. p. 821. (p) Bucelin. G. S. P. J. p. 41. B. Albin. chr. Misn. tir. XXI. p. 285. habet *Ilenburg*. (q) Lang. l. c. p. 821. (r) Id. l. c. p. ead. & in Hist. m. Kirchberg. (s) Id. Lang. p. 826. (t) Id. p. 828. Bucelin. l. c. scribit *Stolenburg* & *Gruapæc*. Albin. l. c. *Stalburg*; Comites aliâs de *Grunpæc* cœnobium *Ichtersbunum* fundarunt anno 1164.

Nunc jacet in requie: quidnam vita est sine pace?

Oret pro nobis! bene sic mihi, sic bene vobis.

Vitam pro norma, bene qui vis vivere, forma.

Spiritus in cœlis precibus Sancti Michaëlis

Gaudet perpetuo. Sit laus & gloria Summo!

VVIT-
TICH. I. *Vicesimus quartus WITICH. I. (u) electus circa AD. MCCCXXVII.* multa laudabilia fecit, sed non notata sunt, more veterum, qui magis æstimabant facta & acta, quàm scripta in crypta. Licet non negaverim, multa esse annotata, quæ postea igne, bello, & incuriâ hominum consumata, direpta & dispersa sunt. Fundator est Ecclesiæ Collegiæ *B. Virg. Nuenburgi*: arcem *Salek* cum oppido Ecclesiæ suæ emit. Obiit AD. MCCCXLVII. Sedit ann. XX.

JOHAN-
NES I. *Vicesimus quintus JOHANNES I. de Miltiz, (vv) electus AD. MCCCXLVII.* Impetrâsse dicitur *Avenione* suâ auctoritate indulgentias monasterio in *Bozau* (x) AD. MCCCXLIX. Turpe autem, quod in ipso festo *S. Johannis Evangelistæ* AD. MCCCCLI. (y) quinto sedis suæ, inter feminas & pocula, inter choreas & levitates subitanæ morte perierit. Sedit ann. V.

Lusit, saltavit, sed non oravit, amavit,

Nympharum amplexus, pocula finis erant.

Sic abit ille Pater noster: sed quò? pereundum est,
in Domino sanctè nî moriâre tuo.

Lulus & choreæ, sunt oscula dulcia funes,

quæ Satanâ stultos fascinat atque capit.

Et vinum & choreas vites simul atque puellas:

sic vives bene, sic tu moriâre bene.

RUDOL-
PHUS, *Vicesimus sextus RUDOLPHUS* è Pincernis in Thuringia, electus AD. MCCCCLII. confirmat & approbat incorporationem Ecclesiarum *Brisenæ* & *Lobichau*. Defensionem Diocesi suæ promittunt Marchiones & Landgravii fratres: oppignoratur Capitulo nostro *Sneberg* & *Breiting*. Obiit AD. MCCCCLXII. Sedit ann. X.

A. D. MCCCCLXII. IN FESTO B. J. ... VENERABIL. DNS.

RODOLPH. EPS. NUENBURG. OB. Q. A. E. I. P.

G. *Vicesimus septimus G. (z) Comes de Schyvartzborg, electus AD. MCCCCLXII.* bene præfuit, sed non utiliter. Vendunt Canonico ad *S. Mauritium* extra muros Venerabili *Porta* aliquot curias & mansos, cum consensu Episco-

(u) è gente Miltizia, Albin. l. c. Dresser. mavult Meldingianam, nihil autem hac de re Pecenstein in Th. Sax. l. l. c. 10. (vv) Meldingen habet Albin. l. a. (x) promittit quidem Lang. l. c. p. 837. se exhibiturum bullam, sed non reperio, ut rutilus defectum chronici sui hic habeat. (y) non 1372. Lang. l. c. p. 837. qui ipse fatetur, quinto regiminis sui anno perisse, & anno 1347. Wittigoni successisse, imò p. 839. lin. 2. aperte dicit, anno 1352. Joannem defunctum esse, (z) alii vocant Gothard., alii Gerhard.

Episcopi AD. MCCCLXVI. Vendebat Duci in *Svideniz Strelam* & alia trans *Muldam, Saden & Fravvenhayn* pro quatuor millib. sexcentis & sexaginta fl., sacram tamen jurisdictionem sibi reservavit. Factus tandem Episcopus in *Würzeborg.* (a)

Vicesimus octavus **WITTICH II.** Et hujus acta & facta in tenebris sepulta jacent. De foresto aliquid in *Breitenbach* Decaniæ Cizenfi dedit. Obiisse credunt AD. MCCCLXXI. Sedit annos octo, vel novem. **WITTICH. II.**

V. D. WITTICH. EPS. NUENB. IN DNO OBDORMIT IN VIGILIA S. . . . A6 MCCCLXXX. . . . Q. I. P.

Vicesimus nonus **CHRISTIAN**, electus AD. MCCCLXXXII. Nobilis erat **CHRISTIAN** de *Witzleb.* Hic quamvis XII. annis usque in AD. MCCCLXCV. præfuerit, de factis & actis tamen ejus nihil reperitur, quam brevissimum hoc :

Utilis atque pius, sapiens, & providus, omni in re discretus Christian ille fuit.

Pudeat Episcopos nostros, ut non quisque suæ Diocæsi ordinet *doctum Historicum*, qui totius Ecclesiæ acta & facta ordine colligat & conscribat fideliter, ad perpetuam rei memoriam, & posteritatis tam *delectationem*, quam *informationem*, cum tamen videmus, quod aliquando, ob leve dissidium & minutam liticulam, multi oriantur motus. In quolibet Capitulo *Historicus* esse debebat; qui sanè ut *utilis*, sic *necessarius* esset. Sed quamdiu colamus *culi-nes*, tamdiu deglutiuntur *cameli*. Mortuus dicitur *Christianus* AD. MCCCLXCV. Sedit ann. XIII.

Tricesimus **UTHELRICUS II.** de *Rothenfeld*, (b) sedit ann. XI. V. usque **UTHELRICUS II.** in AD. MCCCLX. Ejus temporibus natus in villa aliqua nostra *agnus CVS II.* *in insula.* Dedit adhuc *Friderico Martiali* (c) *Döbeln, Breytenhayn, Langberg, Wizenfels, Camborgk, Mülenberg, Wyhe, Memleben, Nieuware & Hesler* AD. MCCCLXII. Controversiæ erant inter *Portam & S. Mauritium* super vineis in *Salberg* & domos adjacentes, super via publica &c. sed per *Heinricum de Augir*, Decretalium Doctorem & Cantorem Ecclesiæ *Magdeburgensis & Tidericum de Goich*, Præpositum Budissinum, Juris Licentiatum, tanquam deputatos arbitros, sepositæ & conculcatæ, confirman- te omnia Episcopo nostro, (d) AD. MCCCLX. *Stephanus Santberger*, Vica- rius, ita de Eo :

Otri-

(a) in catalogo Episcop. VVürtzburg. Burcardos, Meginhardos, Gebhardos & Gerhardos reperio, non verò Gothardum. Dubito ergo cum Lang. p. 840. de veritate narrationis hujus. Si tamen ita sit, equè VVittigo II. mortuo Gothardo succedere potuit? Lang l. c. p. 842. aut qui VVittigo iste anno 1381. obiit? Bucelin. l. c. p. 41. & Lang. p. 843. & de- mum Prædecessor ejus, ut Episcopus VVürtzburgensis, anno 1403. (b) Radensfeld, Rosenfeld, Rodensfeld, (c) Bellicolo, (d) Vid. chron. Portens. p. 138. seq.

Otricus de campo rubro Antistes erat maximè laudabilis, qui, si omnia saxa in parochia sua potuisset aurea reddere, non intermisset, si tamen ad majorem DEI gloriam & Ecclesie salutem cessisset ista metamorphosis.

GERHARDVS. Tricesimus primus GERHARDUS de Goch, (e) laudabilis Vir, optimè præfuit, & cum magna dexteritate, pro DEI gloria & Ecclesie commodo semper vigilans & fidelis: (f) adfuit celebri Concilio Constantiensi, in quo Hæresiarcha Hussi concrematus est. Obiit AD. MCCCCXXVII. si non sequente. Sedit ann. XVII.

Mortuus, ut vivat: dum vixit, mortuus ille:

Vera Tibi vita ex morte, Gerarte, venit.

IOHANNES II. Tricesimus secundus IOHANNES II. de Seleyritz, Præpositus antea & Doctor Decretalium, Vir in omnibus laudandus, doctrinâ & vitâ rectus & simplex. Contra furores Hussitarum Ecclesiam suam armavit fortiter, castrum Cizense fossis, muris & turribus præaltis cingendo. Obiit AD. MCCCCXXIV. in festo S. Andreae Apostoli, sepultus Cizæ. Sedit añ. VII. (g) Alii pauciores numerant

Doctrina & pietas cui nomen fecerat, ille

in crypta hac recubat. Tu miserere, DEUS!

PETRVS. Tricesimus tertius PETRUS de Haugvitz, Juris Licent, electus AD. MCCCCXXV. Hussita totam ejus Dioccesin vastantes fecere, ut monasterium Sanctimonialium ad S. Stephanum extra muros Cizenses in civitatem translatum sit juxta S. Michaelem. Supervenit postea bellum inter Fredericum Electorem & Wilhelmum, Saxonie Ducem, Fratres, qui parùm fraternè viventes flammis & ense grassabantur per Thuringiam. AD. MCCCCXXIV. Fratres isti redeuntes in unum pro stabilienda majori concordia prope Nuenborgum in monticulo colloquuntur, postea ad Portam eunt, ubi Fredericus fratri dixit: ecce! non confundetur, cum loquetur inimico suo in Porta. Obiit AD. MCCCCXXIII. sepultus Cizæ. Sedit annis XXVIII.

Petra fuit Petrus, turris quadrata sanctorum;

praesidium misero nonne cuique dedit?

GEORGIUS. Tricesimus quartus GEORGIUS de Haugvitz, Præpositus Cizensis & Numburgensis, ac Canonicus Merseburgensis & Würzeburgensis, (h) doctus & aptus Vir, electus AD. MCCCCXXIII. Mensè Septembri. Duodecimo ferè post electionem die obiit cum luctu omnium. Sepultus Cizæ.

Magnus

(e) Guch, (f) dicit D. Sagittar. in hist. cit. p. 33. de laticula inter eum, & Erhard. Abbat. Portens. ob silvam, das Grab-Holz dictam, & Lang. chr. cit. p. 855. & 859. citat. At ego inter Abbates Portenses non reperio Erhardum; Bosoviensis Abbas erat, & Lang. l. c. p. 858. seq. integras tibi dabit literas. Sed cum bonus Vir pag. seq. seipsum corrigat, haud peccasse videtur. (g) Peccenstein, l. c. p. 69. ita de eo: Herr Johann von Schleinitz ist Bischoff zu Naumburg und Zeitz/ein hochverständiger Herr/ und Decret. D. in Italia worden/hat 4. Jahr nur residirt/jedoch viel Ruhes und Frömens dem Stifft geschafft/ denn er das Schloß zu Zeitz à fundamentis neu erbaut/und mit Thürmen und Wäuren/wie noch zu sehen/befestiget. (h) Præpositus Misnensis & Decan. Cizensis, Canon. Würzeburg. & Numburg. Albia. l. c.

*Magnus eras, major, quid? maximus, eja, fuisset,
si vitam Domini Clementia Summa dedisset.
Sed festinandum est: oreris morerisq; repente,
herba Tuis saltem fueras ita solstitialis.*

Tricesimus quintus TIDERICUS III. de Burgstorf, (i) eodem annò TIDERICVS III.
mense Octobri electus, Vir egregiè doctus, cui nullus ex Prædecessoribus par
erat. (k) Obiit post triennium, AD. scilicet MCCCCLXVI. Sedit annis III. (l)

Tricesimus sextus HEINRICUS II. cognomento Stammer, Saxo, ele- HEINRICVS II.
ctus AD. MCCCCLXVI. Homo, qui nihil humani à se alienum putabit.

[Hic desuisse videtur, quisquis etiam fuerit, Autor hujus opusculi. In
margine enim scriptum erat: AD. MCCCCLXVII. in festo S. Tho-
ma Apostoli in pace obdormit Collector horum Actorum.]

Heinricus verò II. obiit AD. MCCCCLXXXI. (l) Ejus tempore scripsit Ab-
bas, ut ajunt, Reinharthsbornensis, alii Erfurtensem habent, memorabilem sermo-
nem ad Congregationem Bursfeldensem, quem, ad futuram rei memoriam, in-
terfero, prout eum in cœnobio Gothano accepi. (m) Sic autem de verbo
ad verbum iste sonat:

De
HISTORIA
SERMO CLAUSTRALIS
ad

Sacram Congregationem Bursfeldensem.

QUI Historiam cum Sole comparaverit, sapienter certè fecit. Sicut enim
Sol omnibus rebus in aère, tellure & aqua, visibilibus & invisibilibus, ca-
lorem, incrementum & sustentationem largitur: ita Historia vitam, fidem,
auctoritatem, & stabilimentum donat omnibus rebus in vita communi. Da
mihi lucem sine Sole, & firmamentum rerum absque Historia. Ipse Deus in
Sacrosanctis libris, quos vulgariter Biblia vocamus, præter historiam nihil re-
liquit nobis. In toto V.T., præter Psalmos Davidis, Proverbia, Canticum

(X) & Eccle-

(i) Buxdorf, Albin. l. c. alii habent Buckensdorf, (k) doctrinam ejus fusiùs commendabit
Lang. l. c. p. 869. & ex eo D. Sagittar. l. c. p. 36. (l) non anno 1471. ut Buccelin. vult l. c. (l)
Vid. de eo Lang. l. c. p. 870. & Sagittar. l. c. p. 37. Anonymus ita de eo:

*Nesse cupis, mi viator, quis sub tumba jaceat?
Vini fuit is amator, dic, qui tibi placeat?
Salus, salus, semper salus, odit pius, amat malus.*

(m) De Abbate montis Petri Erfurdia: res mihi certior videtur. Autor enim hujus ser-
monis se vocat fidele Congregationis membrum. At secundum Buccelin. Germ. sac. P. II.
p. 18. Monasterium istud Petrinum Congregationi accessit anno 1439. De Reinhardifon-
tano autem nihil repenti in isto catalogo, quod senius accesserit.